

MCCCCIX. Dum illi, qui se receperant Gallorum nomine in oppidum Castellatii, multa damna inferrent Alexandrino territorio, Facinus Canis decrevit oppidum obsidere, ab eoque non recedere, nisi illo capto, expugnatoque; quare iusto comparato exercitu hiemis tempore, quo etiam anno magnum insurrexerat gelu, illud obsidere, cingereque cepit. Sed cum propugnatores egregie se defenderent, operæ pretium ratus fore, si non armis, sed vel fame, vel obsidione id tentaret; & ob id circum circa multas munitiones, aggeres, fossasque duxit, ut facultatem obsessis eriperet ex-eundi, exercitumque infestandi.

MCCCCX. De mense julii cum obsessio hactenus Castellatii processisset, David, & Gullielmus Boidi Trotti, quorum consilio bellum gerebatur, cernentes se non ulterius tantam obsidionem ferre posse, legatis missis, & Duci Philippo Mariæ, & Facino Cani, pacem obtinuerunt, a quibus etiam maximo honore afficiuntur.

MCCCCXI. De mense octobris Facinus Canis, cum immensam illam sœvitiam non deposuisset, male habuit Gabrielem, & Christophorum Guascos viros armis insignes, & ipso longe præstantiores cum omnibus militibus, & famulis eorum, qui capti fuerunt per Christophorum Guttuarium, & consocios in expugnatione s. Salvatoris, in quo oppido Guaschi erant. Simulaverat autem Guttarius ab obsidione recedere, sed tantum ad nemora se receperat, & interim per ipsum Guaschi capiuntur, a quo idemmet Facinus eosdem multo ære redemptos, ut illos perditum iret, male tractat.

MCCCCXIII. Die nono junii Facinus Canis Casalensis, Alexandria Tyrannus, & Gubernator, diem suum clausit extremum in arce Papiensi: quo tempore Johannes Suardus obtinebat (1) *Brixiam*, Georgius Benzonus Cremonam, Johannes Vignates Laudem Pompeam, Colionei Bergomum, Philippus Arcellus Placentiam, Scaligeri Veronam, Cavalcaboves Cremonam.

(1) *Trecium*. MS.

MCCCCXV. De mense januarii Philippus Maria Anglus Mediolani Dux cupit Guascorum gentem, quæ tunc extorris erat, Alexandriam reducere. Huic rei Lanzavecchia se opponit adversus hos; ira Principis accenditur (1), qua de causa cernentes Lanzavecchiæ se parum tutos ab insidiis Vicecomitis fore, Theodorum Marchionem Montisferrati Alexandriam advocant, qui per unam ex arcibus introductus sub die quinto januarii ejusdem anni, contradictoribus omnibus ejectis eam recuperat (2), & factio Lanzavecchiarum Marchionem sequitur; deinde Alexandria, Duce Francisco Carmagnola viro strenuo, & bellicoso, suo legitimo Principi redonatur.

(1) *Excucitur*. MS. (2) *Recuperatur*. MS.

MCCCCXVII. Reverendissimus Michael Mantegatus Mediolanensis Episcopus Alexandrinus a Martino V. Summo Pontifice creatur. Eodem anno Bartholomeus Arcellus Placentinus cum vellet opem ferre Genuensibus Philippus Maria Vicecomes Dux Mediolanensis cum sexcentum exquitibus, & aliis militibus parum re considerata obviam misit

Alexandriam selectam armatorum militum, qui penes Gavium cum equitibus memoratis Bartholomæi Arcelli manum conferunt, & funduntur, fuganturque; inter quos aderat egregia militum manus Alexandrinorum, qua de re Mediolani processiones ducuntur, & publicæ lætitiæ fiunt.

MCCCCXXVII. Die ultimo octobris Julianus Invitatus dum liber publicus, quem CRUCIS appellant, deperditus, ac consumatus fuisset, sponte illum reipublicæ Alexandrinæ obtulit, qua de re maxime laudandus est, cum si liber ille amissus fuisset, civitas nihil haberet, unde antiquitatem, & res gestas tueretur suas.

MCCCCXXVIII. Pestis maxima viguit in civitate, quæ usque ad annum MCCCCXXX. perseveravit, quo anno frater Jonius Anulphus, qui tunc inhabitabat Trinitatis Ecclesiam, retulit se visionem habuisse nocturno tempore a quodam Peregrino, qui ad muros Bergolii cum sæpius accederet, tandem denuntiavit, ni sub vocabulo sancti Sebastiani juxta viam Gabbæ grossæ Ecclesia ædificaretur, fore ut Bergolii major pars tabe, lueque interiret. Quod cum revelasset Priori s. Stephani, hic prompta concione factum populo renunciavit, qui summa animorum alacritate Ecclesiam s. Sebastiani, processionibus solemnibus pompa institutis ædificandam procuravit; sicque pestis cessavit. Periere incolarum quatuor millia ex lue, atque eam ob causam missam quotannis extra muros celebrari institutum est.

MCCCCXXXI. Cum Philippus Maria Vicecomes bellum gereret adversus Johannem Montisferrati Marchionem, Alexandria comitem Franciscum cum pulchra equitum caterva emittit, nempe duorum millium, ut inde in Marchiam Montisferrati erumpere posset, quod & factum fuit, obsessumque, & captum oppidum Luci (1) post quatuor, aut quinque dies, quo obsideri captum est, illudque direptum.

(1) *Lucis*. MS.

MCCCCXXXII. Philippus Maria Vicecomes in die carnisprivii bellum induxit Johanni Marchioni Montisferrati; propter quod tota (1) fere Marchia ferro, & igni direpta fuit, coactusque ipse Marchio Venetias migrare. Sed haud multo post Philippus Maria oppida, quæ ceperat, liberaliter restitui jussit.

(1) *Contra*. MS.

MCCCCXXXVII. Die decimo mensis julii civitas immunitatem concessam ab omnibus oneribus Simonino, & Laurentio fratribus Ghilinis, ejusque descendantibus, renovavit Christophoro Ghilino Quæstori Magistratus reddituum Philippi Mariæ Angli ob multa in civitatem collata beneficia, quo anno idem Christophorus moritur. Ab his Ghilinis subsequentibus deinceps temporibus descenderunt multi illustres viri, multis legibus clari, maxime autem ob pietatem in patriam, quam semper hæc familia studiose fovit.

MCCCCXLIV. Episcopatum civitatis agebat Marcus Marinonus Mediolanensis.

MCCCCXLVI. Cum Philippus Maria dubitaret de fide civitatis Alexandria, licet is timor esset